
Vm
19
ESERV











V.m 19

MOTETS
ET
ELEVATIONS
POUR LA CHAPELLE
DU ROY,

Imprimez par l'ordre de ſa Majeſté.

Quartier d'Avril, May, & Juin
1686.



A PARIS,
De l'Imprimerie de FRANÇOIS MUGUET, Imprimeur ordinaire du Roy, ruë de la Harpe.

MDCLXXXVI.



TABLE DES MOTETS DE M. ROBERT.



TABLE DES MOTETS DE M. DE LULLY.






TABLE
DES MOTETS
DE M. COLLASSE.






TABLE DES ELEVATIONS.






MOTETS



MOTETS DE M. ROBERT.



PSALMUS XCI.



BONUM est confitéri Dómino : * & psállere nómini tuo Altíssime.

Ad annuntiándum manè misericórdiam tuam : * & veritátem tuam per noctem.

In decachórdo psaltério : * cum cántico in cíthara.

Quia delectásti me Dómine in factúra tua : * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta sunt ópera tua Dómine : * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet : * & stultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres ſicut fœnum : * & apparúerint omnes qui operántur iniquitátem.

Ut intéreant in ſæculum ſæculi ; * tu autem Altíſſimus in æternum Dómine.

Juſtus ut palma florébit : * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini : * in átriis domus Dei noſtri florébunt.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

PSALMUS XV.

CONſérva me Dómine , quóniam ſperávi in te : * dixi Dómino , Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus : * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum ; * póſtea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus ; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei : * tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim hæréditas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intel-


léctum : * ínſuper & uſque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper : * quóniam à dextris eſt mihi ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum , & exultávit lingua mea : * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe.


Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis ſanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecíſti vias vitæ ; adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.



VEniat diléctus meus in hortum ſuum , & cómedat fructum pomórum ſuórum. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa , méſſui myrrham meam cum aromátibus meis : Comédi favum cum melle meo , bibi vinum meum cum lacte meo : Comédite amíci & bíbite , & inebriámini charíſſimi. Vox dilécti mei pulsántis: Aperi mihi ſoror mea , amíca mea , Colúmba mea , immaculáta mea : quia caput meum plenum eſt rore , & cincínni mei guttis nóctium. Expoliávi me túnica mea , quómodo índuar illa ? lavi pedes meos, quómodo inquinábo illos ? Surréxi ut

aperírem dilécto meo, quia amóre lángueo. Quò ábiit diléctus tuus, ô pulchérrima mulíerum ? quò declinávit diléctus tuus ? & quærémus eum tecum. Véniat diléctus meus in hortum ſuum, & cómedat fructum pomórum ſuórum.



PSALMUS CXLVI.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus : * Deo noſtro ſit jucúnda, decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúſalem Dóminus : * diſperſiónes Iſraélis congregábit.

Qui ſanat contrítos corde : * & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem ſtellárum : * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter & magna virtus ejus : * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne : * pſállite Deo noſtro in cíthara.

Qui óperit cœlum núbibus : * & parat terræ plúviam.


Qui prodúcit in móntibus fœnum : * & herbam ſervitúti hóminum.

Qui dat juméntis eſcam ipſórum : * & pul-

lis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit: * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum: * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.



PSALMUS XXXII.

EXultáte juſti in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara: * in pſaltério decem chordárum pſállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum eſt verbum Dómini: * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit miſericórdiam & judícium: * miſericórdia Dómini plena eſt terra.

Verbo Dómini cæli firmáti ſunt: * & ſpíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans ſicut in utre aquas maris: * ponens in theſáuris abyſſos.

Ecce óculi Dómini ſuper metuéntes eum: * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Ut éruat à morte ánimas eórum: * & alat eos in fame.

Anima noſtra ſúſtinet Dóminum: * quó-

niam adjútor & protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * & in nómine sancto ejus sperávimus.

DE CANTICIS CANTICORUM.

NOlíte me consideráre quòd fusca sim, quia decolorávit me sol : fílii matris meæ pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis, víneam meam non custodívi. Indica mihi quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te, ô pulchérrima inter mulíeres, egrédere, & abi post vestígia gregum, & pasce hœdos tuos juxta tabernácula pastórum. Diléctus meus mihi, & ego illi, qui páscitur inter lília, donec aspíret dies, & inclinéntur umbræ. Revértere : símilis esto dilécte mi, cápreæ, hinnulóque cervórum super montes Bethel.

PSALMUS CXIX.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi : * & exaudívit me.


Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis : * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi : * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ : * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi quia incolátus meus prolongátus est, habitávi cum habitántibus Cedar : * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.



PSALMUS XLV.

Deus noster refúgium & virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.


Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma : * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus : * exaltábor in Géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíſcum : * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.



PSALMUS LXXX.

EXultáte Deo adjutóri noſtro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum : * pſaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba : * in insígni die ſolemnitátis veſtræ.

Quia præcéptum in Iſraël eſt : * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terra Ægypti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus : * manus ejus in cóphino ſerviérunt.

In tribulatióne invocáſti me, & liberávi te ; exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis : * probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, & conteſtábor te ; Iſraël ſi audíeris me, non erit in te Deus recens : * neque adorábis Deum aliénum.

Ego


Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, & implébo illud.

Si pópulus meus audíſſet me : * Iſraël ſi in viis meis ambuláſſet.

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem : * & ſupra tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei : * & erit tempus eórum in ſæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * & de petra melle ſaturávit eos.



EX CANTICIS

ISAYÆ ET ANNÆ.

EXultávit cor meum in Dómino : * & exaltátum eſt cornu meum in Deo meo.

Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos : * quia lætáta ſum in ſalutári tuo.

Non eſt ſanctus ut eſt Dóminus ; neque enim eſt álius extra te : * & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolíte multiplicáre loqui ſublímia : * gloriántes.

Recédant vétera de ore veſtro : * quia Deus

ſcientiárum Dóminus eſt, & ipſi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium ſuperátus eſt : * & infírmi accíncti ſunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus ſe locavérunt : * & famélici ſaturáti ſunt.

Donec ſtérilis péperit plúrimos : * & quæ multos habébat fílios, infirmáta eſt.

Dóminus mortíficat & vivíficat : * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus páuperem facit & ditat : * humíliat & súblevat.

Súſcitat de púlvere egénum : * & de ſtércore élevat páuperem.


Ut ſédeat cum princípibus : * & ſólium glóriæ téneat.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : * mementóte quóniam excélſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino quóniam magnífice fecit : * annuntiáte hoc in univérſa terra.

Exúlta & lauda habitátio Sion : * quia magnus in médio tui ſanctus Iſraël.

Exultávit cor meum, &c.



PSALMUS II.

QUare fremuérunt Gentes : * & pópuli meditáti ſunt inánia ?

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum : * advérſus Dóminum, & advérſus Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * & projiciámus à nobis jugum ipſórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos : * & Dóminus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua : * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus : * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu : * ego hódie génui te.

Póſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam : * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.


Reges eos in virga férrea : * & tanquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínam, nequando iraſcátur Dóminus : * & pereátis de via juſta.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus : * beáti omnes qui confídunt in eo.



PSALMUS CXXVI.

NIsi Dóminus ædificáverit domum : * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.


Nisi Dóminus custodíerit civitátem : * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum : * ecce hæréditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.



PSALMUS XXVI.

DOminus illuminátio mea, & salus mea : * quem timébo ?

Dóminus protéctor vitæ meæ : * à quo trepidábo ?

Dum appópiant super me nocéntes : * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei : * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra : * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsum me prælium : * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino , hanc requíram : * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini : * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi , & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo & psalmum dicam Dómino.

Exáudi Dómine vocem meam qua clamávi ad te : * miserére mei , & exáudi me.

Tibi dixit cor meum , Exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me : * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto , ne derelínquas me : * neque despícias me Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua : * &

díríge me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini: * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age: * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

PSALMUS XCVII.

CAntáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ: * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ: * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra: * cantáte & exultáte & psállite.


Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini, moveá-

tur mare , & plenitúdo ejus : * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia : * & pópulos in æquitáte.



PSALMUS XCVI.

DOminus regnávit, exúltet terra : * lætén-tur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus : * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet : * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini : * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus : * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant ſculptília : * & qui gloriántur in ſimuláchris ſuis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit & lætáta eſt Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ : * propter judícia tua Dómine,

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram : * nimis exaltátus es ſuper omnes Deos.

Qui dilígitis Dóminum odíte malum : * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum , de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto : * & rectis corde lætítia.

Lætámini juſti in Dómino : * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

PSALMUS LXVII.

EXúrgat Deus , & diſſipéntur inimíci ejus : * & fúgiant qui odérunt eum , à fácie ejus.

Sicut déficit fumus , defíciant : * ſicut fluit cera à fácie ignis , ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epuléntur , & exúltent in conſpéctu Dei : * & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo , pſalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei qui aſcéndit ſuper occáſum ; Dóminus nomen illi.

Exultáte in conſpéctu ejus : * turbabúntur à fácie ejus , patris orphanórum , & júdicis viduárum.

Deus in loco ſancto ſuo : * Deus qui inhabitáre facit uníus moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine : * ſímiliter eos qui exáſperant , qui hábitant in ſepúlchris.


Regna

Regna terræ cantáte Deo : * psállite Dómino.

Psállite Deo qui aſcéndit ſuper cœlum cœli : * ad Oriéntem.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis, date glóriam Deo ſuper Iſraël : * magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſraël : * ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ, Benedíctus Deus.



PSALMUS XXII.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit : * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me ſuper ſémitas juſtítiæ : * propter nomen ſuum.

Nam etſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.


Virga tua, & báculus tuus : * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam : * advérſus eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum : * & calix meus inébrians, quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me : * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini : * in longitúdinem diérum.



PSALMUS LXIV.

TE decet hymnus Deus in Sion : * & tibi reddétur votum in Jerúſalem.

Exáudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos : * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegíſti & aſſumpsíſti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * ſanctum eſt templum tuum , mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus ſalutáris noſter : * ſpes ómnium fínium terræ , & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua , accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris , ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes , & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis : * éxitus matutíni & véſperæ delectábis.

Viſitáſti terram & inebriáſti eam : * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis , paráſti cibum illórum : * quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria , multíplica genímina ejus : *

in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecióſa deſérti : * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti ſunt aríetes óvium , & valles abundábunt fruménto : * clamábunt , étenim hymnum dicent.

PSALMUS CXXIX.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes : * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris Dómine : * Dómine quis ſuſtinébit ?


Quia apud te propitiátio eſt : * & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus : * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem : * ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia : * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſraël : * ex ómnibus iniquitátibus ejus.



DE CANTICIS CANTICORUM.

EGo flos campi, & lílium convállium. Sicut lílium inter ſpinas, ſic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna ſylvárum, ſic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus quem deſideráveram, ſedi; & dulcis fructus ejus gútturi meo. Introdúxit me Rex in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus, ſtipáte me malis, quia amóre lángueo. Læva ejus ſub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Diléctus meus deſcéndit in hortum ſuum ad aréolam arómatum, ut ibi paſcátur in hortis, & lília cólligat. Pulchra es amíca mea, ſuávis & decóra tanquam Jerúſalem, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta. Ego diléćto meo, & ad me convérſio ejus. Veni, veni, diléćte mi. Egrediámur in agrum, commorémur in villis. Manè ſurgámus ad víneas, videámus ſi flóruit vínea, ſi flores fructus partúriunt, ſi floruérunt mala púnica: ibi dabo tibi úbera mea. Mandragoræ dedérunt odórem in hortis noſtris. Omnia poma nova & vétera, diléćte mi, ſervávi tibi.



✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

PSALMUS CXIII.

IN éxitu Iſraël de Ægypto : * domus Jacob de pópulo bárbaro.

Facta eſt Judæa ſanctificátio ejus : * Iſraël poteſtas ejus.

Mare vidit & fugit : * Jordánis convérſus eſt retrórſum.

Montes exultavérunt ut aríetes : * & colles ſicut agni óvium.

Quid eſt tibi mare quòd fugíſti : * & tu Jordánis quia convérſus es retrórſum ?

Montes exultáſtis ſicut aríetes : * & colles ſicut agni óvium.

A fácie Dómini mota eſt terra : * à fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in ſtagna aquárum : * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis Dómine non nobis : * ſed nómini tuo da glóriam.

Super miſericórdia tua & veritáte tua : * nequándo dicant gentes, Ubi eſt Deus eórum ?

Deus autem noſter in cœlo : * ómnia quæcúmque vóluit fecit.

Simuláchra géntium argéntum & aurum : * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur: * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non áudient: * nares habent, & non odorábunt.

Manus habent, & non palpábunt, pedes habent & non ambulábunt: * non clamábunt in gútture ſuo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea: * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſraël ſperávit in Dómino: * adjútor eórum, & protéctor eórum eſt.

Domus Aaron ſperávit in Dómino: * adjútor eórum, & protéctor eórum eſt.

Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino: * adjútor eórum, & protéctor eórum eſt.

Dóminus memor fuit noſtri: * & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Iſraël: * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum: * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus ſuper vos: * ſuper vos & ſuper fílios veſtros.


Benedícti vos à Dómino: * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino: * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te Dómine: * neque

omnes qui descéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus benedícimus Dómino : * ex hoc nunc & usque in sæculum.



PSALMUS LXXXIV.

BEnedixísti Dómine terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster : * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis ? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem ?

Deus tu convérsus vivificábis nos : * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam : * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi : *

juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt : * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit : * & ponet in via greſſus ſuos.

✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

PSALMUS XXXIII.

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant manſuéti , & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * & exaltémus nomen ejus in idípſum.

Exquisívi Dóminum , & exaudívit me : * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum , & illuminámini : * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum : * & de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus : * beátus vir qui ſperat in eo.


Timéte Dóminum omnes ſancti ejus : * quóniam

niam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte filii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos ?




HYMNUS.


CHriſte Redémptor ómnium,
Conſérva tuos fámulos,
Beátæ ſemper Vírginis
Placátus ſanctis précibus.
Beáta quoque ágmina
Cœléſtium ſpiríituum,
Prætérita, præséntia,
Futúra mala péllite.
Vates ætérni júdicis,
Apoſtolíque Dómini,
Supplíciter expóſcimus
Salvári veſtris précibus.
Mártyres Dei ínclyti,
Confeſſoréſque lúcidi,
Veſtris oratiónibus
Nos ferte in cœléſtibus.
Chori ſanctárum Vírginum,
Monachorúmque ómnium,

Simul cum ſanctis ómnibus
Consórtes Chriſti fácite.
Gentem auférte pérfidam
Credéntium de fínibus ;
Ut Chriſto laudes débitas
Perſolvámus alácriter.





MOTETS DE M. DE LULLY.



PSALMUS L.



Iserére mei Deus : * secúndùm magnam misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum : * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea : * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis ; & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta &

occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam: * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis: * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua: * & ſpíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui: * & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ: * & exaltábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * & os meum annuntiábit laudem tuam.


Quóniam ſi voluíſſes ſacrifícium, dedíſſem útique: * holocáuſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo, ſpíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benígnè fac Dómine in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatió-

nes & holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.



CANTIQUE DE ZACHARIE.

BEnedíctus Dóminus Deus Israël : * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum : * qui à sæculo sunt, prophetárum ejus.

Salútem ex inimícis nostris : * & de manu ómnium qui odérunt nos.

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * & memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem nostrum : * datúrum se nobis.

Ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti : * serviámus illi.


In sanctitáte & justítia coram ipso ; * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, prophéta Altíssimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri : * in quibus visitávit nos óriens ex alto.

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent : * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.



HYMNE DE S. AMBROISE ET DE S. AUGUSTIN.

TE Deum laudámus : * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem : * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli : * tibi cœli & univérſæ poteſtátes.

Tibi Chérubim & Séraphim : * inceſſábili voce proclámant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni ſunt cœli & terra : * majeſtátis glóriæ tuæ.

Te glorióſus * Apoſtolórum chorus.

Te Prophetárum * laudábilis númerus.

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * ſancta confitétur Eccléſia.

Patrem * imménſæ majeſtátis.

Venerándum tuum verum, * & únicum Fílium.

Sanctum quoque * paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriæ * Chriſte.

Tu Patris * ſempitérnus es Fílius.

Tu ad liberándum ſuſceptúrus hóminem , * non horruíſti vírginis úterum.

Tu devícto mortis acúleo , * aperuíſti credéntibus regna cœlórum.

Tu ad déxteram Dei ſedes : * in glória Patris.

Judex créderis * eſſe ventúrus.

Te ergo quæſumus , fámulis tuis súbveni : * quos pretióſo ſánguine redemíſti.

Ætérnâ fac cum ſanctis tuis * in glóriâ munerári.

Salvum fac pópulum tuum Dómine : * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos : * & extólle illos uſque in ætérnum.

Per ſíngulos dies * benedícimus te.


Et laudámus nomen tuum in ſæculum : * & in ſæculum ſæculi.


Dignáre Dómine die iſto * ſine peccáto nos cuſtodíre.

Miſerére noſtri Dómine : * miſerére noſtri.

Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos : * quemádmodum ſperávimus in te.

In te Dómine ſperávi : * non confúndar in ætérnum.





PSALMUS CXXIX.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes : * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris Dómine : * Dómine quis ſuſtinébit ?

Quia apud te propitiátio eſt : * & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus : * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia : * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſraël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.



PROSE DES MORTS.

DIes iræ , dies illa , ſolvet ſæclum in favílla , teſte David cum Sibylla.

Quantus tremor eſt futúrus , quando judex eſt ventúrus , cuncta ſtrictè diſcuſſúrus !

Tuba mirum ſpargens ſonum , per ſepúlcra regiónum , coget omnes ante thronum.

Mors

Mors ſtupébit & natúra, cùm resúrget creatúra, judicánti reſponsúra.

Liber ſcriptus proferétur, in quo totum continétur, undè mundus judicétur.

Judex ergo cùm ſedébit, quidquid latet apparébit, nil inúltum remanébit.

Quid ſum miſer tunc dictúrus ? quem patrónum rogatúrus ? cùm vix juſtus ſit ſecúrus.

Rex treméndæ majeſtátis, qui ſalvándos ſalvas gratìs, ſalva me fons pietátis.

Recordáre, Jeſu pie, quòd ſum cauſa tuæ viæ : ne me perdas illâ die.

Quærens me, ſedíſti laſſus, redemíſti, crucem paſſus : tantus labor non ſit caſſus.

Juſte judex ultiónis, donum fac remiſſiónis, ante diem ratiónis.

Ingemíſco tamquam reus ; culpa rubet vultus meus : ſupplicánti parce Deus.

Qui Maríam abſolvíſti, & latrónem exaudíſti, mihi quoque ſpem dedíſti.

Preces meæ non ſunt dignæ ; ſed tu bonus fac benígnè, ne perénni cremer igne.

Inter oves locum præſta, & ab hœdis me ſequéſtra, ſtátuens in parte dextra.


Confutátis maledíctis, flammis ácribus addíctis, voca me cum benedíctis.

Oro ſupplex & acclínis, cor contrítum quaſi cinis, gere curam mei finis.

Lacrymósa dies illa ! quâ resúrget ex favíllâ judicándus homo reus.

Huic ergo parce Deus.


Pie JESU Dómine, dona eis réquiem.




CANTICUM
PRO BAPTISMO DELPHINI.

PLaude, lætáre Gállia : Rore cœléſti rigántur lília : Sacro Delphínus fonte lavátur ; Et Chriſtiánus Chriſto dicátur. O Jeſu, vita credéntium ! Exáudi vota precántium. Vivat, regnet Princeps fidélis, ſemper Juſtus, ſemper Victor, ſemper Augúſtus : Vivat, regnet, triúmphet in cœlis ; Et ſempitérnâ lúceat corónâ.





MOTETS
ET
ELEVATIONS
DE M. COLLASSE.



PRIERE POUR LE ROY.

PSALMUS XIX.


XAUDIAT te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de ſancto : * & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrifícii tui : * & holocáuſtum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi ſecúndùm cor tuum : * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in ſalutári tuo : * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.


Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

Exáudiet illum de cælo ſancto ſuo : * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt : * nos autem ſurréximus, & erécti ſumus.


Dómine ſalvum fac Regem : * & exáudi nos in die, quâ invocavérimus te.



ANTIENNE

A LA VIERGE.

Regína cæli lætáre, allelúia.
Quia quem meruíſti portáre, allelúia.
Reſurréxit ſicut dixit, allelúia.
Ora pro nobis Deum, allelúia.



PSALMUS CXII.

Laudáte púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum : * ex hoc

nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum : * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus : * & super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat : * & humília réspicit in cælo & in terrâ.

Súscitans à terrâ ínopem : * & de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus : * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo : * matrem filiórum lætántem.

PSALMUS XLVI.

OMnes Gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * & Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam : * spéciem Jacob, quem diléxit.


Ascéndit Deus in júbilo : * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite: * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super Gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham: * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.



PSALMUS XXXI.

BEáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes: * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum: * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea: * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmnâ meâ, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci: * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injustítiam meam Dómino: * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus: * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multá-rum : * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne , quæ circúmdedit me : * exultátio mea érue me à circumdántibus me.


Intelléctum tibi dabo, & ínſtruam te in viâ hac quâ gradiéris : * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fíeri ſicut equus & mulus : * quibus non eſt intelléctus.

In chamo & fræno maxíllas eórum conſtrín-ge : * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris : * ſperántem autem in Dómino : miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino & exultáte juſti : * & gloriámini omnes recti corde.



PSALMUS XCVII.

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus : * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum : * in conſpéctu Géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ : * & veri-tátis ſuæ dómui Iſraël.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.


Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte & exultáte , & psállite.

Psállite Dómino in cítharâ , in cítharâ & voce psalmi : * in tubis ductílibus , & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini , moveátur mare , & plenitúdo ejus : * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu , simul montes exultábunt à conspéctu Dómini ; * quóniam venit judicáre terram.


Judicábit orbem terrárum in justítiâ : * & pópulos in æquitáte.




CANTICUM
DE COMMUNI.

Mirábilis es Dómine in arcánis tuis. Elegísti N. servum húmilem & innocéntem ad dilatándum coram géntibus nomen sanctum tuum. Próspice illum glorificántem te , in passiónibus , in ærúmnis , in vigíliis , per juga, per montes , per antra , per colles , per campos, per valles , per ásperas calles. O Christi imitátor , magíster géntium , & vir fortíssimus ; regna, gaude, júbila. Cæléstes properáte cives , N. serta paráte ; corónas & palmas aptáte : Noctes

enim



enim labórum verſæ ſunt in dies lætítiæ, & exultatiónis. O te felícem! ô te beátum! ſuſtulíſti pugnam; pugnándo vicíſti, triumpháſti. Nunc merces tua copióſa eſt in cælis.



PSALMUS CXLIX.

CAntáte Dómino cánticum novum: * laus ejus in ecclésiâ ſanctórum.

Lætétur Iſraël in eo, qui fecit eum: * & fílii Sion exúltent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano & pſaltério pſallant ei.

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo: * & exaltábit manſuétos in ſalútem.


Exultábunt ſancti in glóriâ: * lætabúntur in cubílibus ſuis.


Exaltatiónes Dei in gútture eórum: * & gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus: * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus: * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conſcríptum: * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.





PSALMUS XCIX.


JUbiláte Deo omnis terra : * ſervíte Dómino in lætítiâ.

Introíte in conſpéctu ejus : * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus : * ipſe fecit nos , & non ipſi nos.

Pópulus ejus , & oves páſcuæ ejus , introíte portas ejus in confeſſióne , * átria ejus in hymnis , confitémini illi.

Laudáte nomen ejus , quóniam ſuávis eſt Dóminus , in ætérnum miſericórdia ejus : * & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.



PSALMUS CXI.

BEátus vir , qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit ſemen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus : * & juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Exórtum eſt in ténebris lumen rectis : * miſéricors & miſerátor & juſtus.

Jucúndus homo qui miſerétur & cómmodat,

diſpónit ſermónes ſuos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memóriâ ætérnâ erit juſtus : * ab auditióne malâ non timébit :

Parátum cor ejus ſperáre in Dómino, confirmátum eſt cor ejus : * non commovébitur donec deſpíciat inimícos ſuos.

Diſpérſit, dedit paupéribus, juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi : * cornu ejus exaltábitur in glóriâ.

Peccátor vidébit & iraſcétur, déntibus ſuis fremet & tabéſcet : * deſidérium peccatórum períbit.

Glória Patri & Fílio : * & Spirítui ſancto.

Sicut erat in princípio, & nunc & ſemper : * & in ſæcula ſæculórum. Amen.



PSALMUS LXVII.

EXúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus : * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant : * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei : * & delecténtur in lætítiâ.

Cantáte Deo, pſalmum dícite nómini ejus : *

iter fácite ei, qui ascéndit super occásum, Dóminus nomen illi.

Regna terræ, cantáte Deo: * psállite Dómino.

Psállite Deo, qui ascéndit super cælum cæli: * ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis, date glóriam Deo super Israël: * magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ: * benedíctus Deus.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

PSALMUS LXXXII.

DEus quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris Deus.

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt: * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium: * & cogitavérunt advérsùs sanctos tuos.

Dixérunt, Veníte, & disperdámus eos de gente: * & non memorétur nomen Israël ultrà.

Deus meus pone illos ut rotam: * & sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit silvam: * & sicut flamma combúrens montes.

Ita perſequéris illos in tempeſtáte tuâ : * & in irâ tuâ turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ : * & quærent nomen tuum Dómine.

Erubéſcant & conturbéntur in ſæculum ſæculi : * & confundántur & péreant.

Et cognóſcant quia nomen tibi Dóminus : * tu ſolus Altíſſimus in omni terrâ.

CANTICUM MOSIS.

CAntémus Dómino, glorioſè enim magnificátus eſt : * equum & aſcenſórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus : * & factus eſt mihi in ſalútem.

Iſte Deus meus, & glorificábo eum : * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quaſi vir pugnátor, omnípotens nomen ejus : * currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare.

Elécti príncipes ejus ſubmérſi ſunt in mari rubro : * abyſſi operuérunt eos, deſcendérunt in profúndum quaſi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta eſt in fortitúdine : déxtera tua, Dómine, percúſſit

inimícum : * & in multitúdine glóriæ tuæ depoſuíſti adversários tuos.


Misíſti iram tuam, quæ devorávit eos ſicut ſtípulam : * & in ſpíritu furóris tui congregátæ ſunt aquæ.

Stetit unda fluens : * congregátæ ſunt abyſſi in médio mari.

Dixit inimícus ; Pérſequar & comprehéndam : * dívidam ſpólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum : * interfíciet eos manus mea.

Flavit ſpíritus tuus, & opéruit eos mare : * ſubmérſi ſunt quaſi plumbum in aquis veheméntibus.



DIVISIO.

QUis símilis tui in fórtibus, Dómine ! quis símilis tui, * magníficus in ſanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília ?

Extendíſti manum tuam, & devorávit eos terra : * dux fuíſti in miſericórdiâ tuâ pópulo quem redemíſti.

Et portáſti eum in fortitúdine tuâ : * ad habitáculum ſanctum tuum.

Aſcendérunt pópuli, & iráti ſunt : * dolóres obtinuérunt habitatóres Philíſthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor : * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor : * in magnitúdine bráchii tui.

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus Dómine : * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ : * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine.

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ : * Dóminus regnábit in ætérnum & ultrà.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare : * & redúxit super eos Dóminus aquas maris.

Fílii autem Israël : * ambulavérunt per siccum in médio ejus.

PSALMUS XXIV.

DOminus illuminátio mea, & salus mea : * quem timébo ?

Dóminus protéctor vitæ meæ : * à quo trepidábo ?

Dum appròpiant super me nocéntes : * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei : * ipſi infirmáti ſunt & cecidérunt.

Si consíſtant advérsùm me caſtra : * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium : * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram : * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini : * & víſitem templum ejus.

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo : * in die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me : * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis : * cantábo & pſalmum dicam Dómino.

Exáudi Dómine vocem meam, quâ clamávi ad te : * miſerére mei & exáudi me.

Tibi dixit cor meum, Exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me : * ne declínes in irâ à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto, ne derelínquas me : * neque deſpícias me Deus ſalutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt

quérunt me : * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi Dómine in viâ tuâ : * & dírige me in ſémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini : * in terrâ vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age : * & confortétur cor tuum, & ſúſtine Dóminum.

PSALMUS XXIII.

DOmini eſt terra & plenitúdo ejus : * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo.

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum : * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini ? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus ?

Innócens mánibus & mundo corde : * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino : * & miſericórdiam : à Deo ſalutári ſuo.


Hæc eſt generátio quærentium eum : * quærentium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & eleváj mini portæ æternáles: * & introíbit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras; & eleváj mini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.



PSALMUS CXLVII.

LAuda Jerúsalem Dóminum: * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?


Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob: * justítias & judicia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Glória Patri, & Fílio : * & Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, & nunc & ſemper : * & in ſæcula ſæculórum. Amen.



HYMNVS.

VEni Creátor Spíritus,
Mentes tuórum víſita,
Imple ſupérnâ grátiâ,
Quæ tu creáſti péctora.


Qui Paráclitus díceris,
Donum Dei altíſſimi,
Fons vivus, ignis, cháritas,
Et ſpiritális únctio.

Tu ſeptifórmis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu ritè promíſſum Patris
Sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen ſénſibus,
Infúnde amórem córdibus,
Infírma noſtri córporis
Virtúte firmans pérpeti.

Hoſtem repéllas lóngiùs,
Pacémque dones prótinùs,
Ductóre ſic te prævio,

Vitémus omne nóxium.
Per te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Te utriúsque Spíritum,
Credámus omni témpore.
Glória Patri Dómino,
Natóque qui à mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.



IN FESTO CORPORIS CHRISTI
HYMNUS.

PAnge lingua gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguiníśque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intácta vírgine,
Et in mundo conversátus
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.
In suprémæ nocte Cœnæ


Recúmbens cum frátribus,
Obſerváta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat ſuis mánibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem éfficit:
Fitque ſanguis Chriſti merum,
Et ſi ſenſus déficit:
Ad firmándum cor ſincérum
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui:
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui:
Præſtet fides ſuppleméntum
Sénſuum deféctui.

Genitóri, Genitóque
Laus & jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit & benedíctio,
Procedénti ab utróque
Compar ſit laudátio. Amen.





PSALMUS LXIX.

DEus in adjutórium meum inténde : * Dómine ad adjuvandum me feſtína.

Confundántur & revereántur : * qui quærunt ánimam meam.


Avertántur retrórſum, & erubéſcant : * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim erubeſcéntes : * qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exúltent & lætént ur in te omnes qui quærunt te : * & dicant ſemper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper ſum : * Deus ádjuva me.


Adjútor meus, & liberátor meus es tu : * Dómine ne moréris.




Aſpiratio animæ ad ſanctiſſimum ſacramentum.

O ! Quam diléćta ſunt tabernácula tua Dómine ! O ! quam glorióſè magnificátus es apud gentes ! O ! quam mirabíliter nobis guſtándus de cœlo deſcendíſti ! Accédant ergo fidéles & repleántur in bonitáte dulcédinis. Ecce ad


mensam dulcíssimi convívii tui (pie Dómine Jesu) accédere contremísco, & quem júdicem sustinére néqueo, salvatórem hábere súspiro. Quando ardentíssime diligam te! Quando tibi agglutinábor! Quando me totum in te absorbébis! Redde mihi grátiam tuam: inébria spíritum meum vino perféctæ charitátis, quia te quæro, quia te cúpio, & desidério tui languet ánima mea. O ardens desidérium! O dulce refrigérium amáre Dei Fílium! Dómine Deus meus! vita dulcis & perénnis! accénde, cóncrema, transfórma me, ut nihil præter te vivat in me. Aufer omnes iniquitátes & scélera, ut purificátus mente & córpore totus pro te árdeam, & liquefíat spíritus meus. O mentis delectátio? O cordis recreátio! servíre cœli Dómino. O salutáris hóstia! O Verbum caro factum immolátum pro hómine! Refice nos ex ádipe fruménti charitátis tuæ, quóniam dulcis, mellífluus & suavíssimus es tu, Deus! Tu glória sanctórum. Tu panis Angelórum. Ave Jesu dulcíssime; Ave tremenda Majéstas, & benedícta Deitas. Transfige nos amóris tui jáculo, ut vivificémur omnes in gáudio & exultatióne cordis nostri. O cœli creátor! O mundi Salvátor, & Beatórum Glória.





CANTICUM.

CAntáte Dómino cánticum novum, laudáte, & magnificáte nomen ejus in idípsum. Súmite psalmum, tángite cytharas, & hymnum dícite Deo nostro. Omnes gentes pláudite mánibus; psállite illi in voce exultatiónis. Aperiátur Coelum. Moveátur mare & plenitúdo ejus, orbis terrárum, & qui hábitant in eo. Pulsáte tympána, voces & órgana. Exúltet Orbis: gáudiis Cœlum resúltet. Láudibus résonent tubæ, & omnis pópulus lætétur & congáudeat: quóniam magnus Dóminus & laudábilis nimis. Veníte, properáte gáudete exultáte: Regem Regum adoráte, & Salvatórem exaltáte. Date glóriam & honórem, laudem date & decórem Deo nostro in sæcula.




Aspiratio mentis ad Jesum.

ECce, in dolóre & mœróre tabéscit ánima mea. Tribulátiones & angústiæ invenérunt me. Consolántem me quæsivi, & non invéni. Ad quem confúgiam? ad quem clamábo? nisi ad te Dómine Jesu spes & vita mea, qui solus

es

es refúgium peccatórum & únicum solátium miserórum. O Jesu vera cháritas, vera cordis suávitas. O dulcíssime Jesu quem nescíre mors est, quem nóscere vívere est, quem spérnere períre est, cui servíre regnáre est, quis te non amet? quis te non quærat? quis ad tui amóris ignem beatíssimum non inardéscat? Nec lingua valet dícere, nec líttera exprímere, quam dulce, quam amábile, quam menti delectábile sit, te Jesu dilígere. O réquies labórum, ô salus peccatórum. Cum digne loqui néqueam, de te Jesu non síleam. Amor facit ut áudeam cum de te solo gáudeam. Te mea mens desíderat te mea quærit ánima amóre tuo sáucia. Quam lætus cum invénero! quam fœlix eum tenúero, cum amplexátus fúero! Sequar quocúmque íeris, mihi tolli non póteris, cum meum cor abstúleris. O vera lux credéntium! O vera spes vivéntium! Tu solus es amándus, tu solus adorándus, Tu solus es laudándus & glorificándus per infínita sæculórum sæcula.



PSALMUS CXXXVI.

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus & flévimus: * cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus: * suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos : * verba cantiónum.

Et qui abduxérunt nos : * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini : * in terra aliéna ?

Si oblítus fúero tui Jerúſalem : * obliviόni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis : * ſi non memínero tui.


Si non proposúero Jerúſalem : * in princípio lætítiæ meæ.

Memor eſto Dómine filiórum Edom : * in die Jerúſalem.

Qui dicunt, exinaníte, exinaníte : * uſque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis míſera : * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quàm retribuíſti nobis.

Beátus qui tenébit : * & allídet párvulos tuos ad petram.



PSALMUS IV.

CUm invocárem, exaudívit me Deus juſtítiæ meæ : * in tribulatióne dilatáſti mihi.

Miſerére mei : * & exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum uſquequò gravi corde : * ut quid diligitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et ſcitóte quóniam mirificávit Dóminus ſanctum ſuum : * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Iraſcímini, & nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus veſtris, in cubílibus veſtris compungímini.


Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, & ſperáte in Dómino : * multi dicunt, Quis oſténdit nobis bona?

Signátum eſt ſuper nos lumen vultus tui Dómine : * dedíſti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei ſui : * multiplicáti ſunt.

In pace in idípſum : * dórmiam, & requiéſcam.

Quóniam tu Dómine ſinguláriter in ſpe : * conſtituíſti me.



CANTICUM VIRGINIS.

MAgníficat : * ánima mea Dóminum.

Et exultávit ſpíritus meus : * in Deo ſalutári meo.

Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: * & ſanctum nomen ejus.

Et miſericórdia ejus à progénie in progénies: * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo: * diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.

Depóſuit poténtes de ſede: * & exaltávit húmiles.


Eſuriéntes implévit bonis: * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſraël púerum ſuum: * recordátus miſericórdiæ ſuæ.

Sicut locútus eſt ad patres noſtros: * Abraham, & sémini ejus in ſæcula.

Glória Patri, & Fílio: * & Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, & nunc & ſemper: * & in ſæcula ſæculórum. Amen.



PSALMUS III.

DOmine, quid multiplicáti ſunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérſum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem Dómine ſuſcéptor meus es: * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum: * & exurré-
xi, quia Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: *
exúrge Dómine, ſalvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percuſsíſti omnes adversántes
mihi ſine cauſa: * dentes peccatórum contrivíſti.

Dómini eſt ſalus: * & ſuper pópulum tuum
benedíctio tua.





ELEVATIONS.

JEſu mi benigníſſime, piíſſime Jeſu, quàm dulcis es, quàm miséricors, mi care Jeſu! Tu vulneráſti cor meum, tu transfixíſti víſcera mea, Jeſu mi piíſſime, vulneráſti cor meum, transfixíſti víſcera mea, Jeſu mi piíſſime. Confíge ánimam meam ſagíttis charitátis tuæ. O amor! ô vita! ô cor! ô ſpes! ô vita mea. O mi care Jeſu, fac ut árdeam in te, nihil velim niſi te, fac ut móriar pro te, mi care Jeſu, piíſſime Jeſu.



AVe mundi Dómina, quàm pulchra es, quàm diléɛta. Lábia tua velut roſæ fragrántia, te cúpio, te díligo. Tu mihi ſole clárior, tu mihi melle dúlcior. Ad te ſuſpíro, præ deſidério tui lángueo, pro te mórior. Sum in gemítibus, ſum in labóribus, donec in te requiéſcat, & liquéfiat ánima mea.




AVe verum corpus natum de Maríâ vírgine: Verè passum, immolátum in cruce pro hómine: Cujus latus perforátum unda fluxit cum sánguine. Esto nobis prægustátum mortis in exámine. O dulcis! ô pie! ô Jesu filî Maríæ.


LAudem Dómini loquétur os meum, & benedícat omnis caro nomen sanctum ejus. Benedíctus es Dómine Deus patrum nostrórum, & laudábilis & gloriósus in sæcula, & benedíctum nomen glóriæ tuæ quod est sanctum, & laudábile & gloriósum in sæcula. Benedícant omnes Angeli & Sancti tui, & laudent te, & gloríficent in sæcula. Benedícant te cæli, terra, mare, & ómnia quæ in eis sunt, & laudent te, & gloríficent in sæcula. Benedíctus es Dómine Deus Patrum nostrórum, & laudábilis & gloriósus in sæcula.

VEníte & properáte. Veníte & exultémus, & jubilémus, & collaudémus. Veníte adorémus & venerémur hoc venerábile Sacraméntum in quo Christus súmitur, recólitur memória Passiónis ejus. Mens implétur grátiâ, & fu-


túræ glóriæ nobis pignus datur. Veníte, properáte, feſtináte, adorántes, benedicéntes procidámus, glorificántes & collaudántes eum in ſæcula.




O Salutáris Hóſtia, Quæ cæli pandis óſtium, Bella premunt hoſtília, Da robur, fer auxílium. O ſalutáris Hóſtia.



O Bone Jeſu! ô piíſſime Jeſu! humáni genéris amátor. Qui te guſtant esúriunt, qui bibunt adhuc sítiunt. Sítio ad te fontem aquæ vivæ; nec ſatiábor donec requiéſcam in te, quia de amóre tuo vulneráſti me. Ecce lángueo pro te, amor meus! quia tu prior dilexíſti me; nec hábeo quod tibi præbeam, niſi te déderis mihi lárgitor ómnium! Omnia tua ſunt, & omnes gentes (quaſi non ſint) ſunt coram te, Deus meus! Ecce cantábo & delectábor in te, quia tu es ómnia, & ego nihil ſum; & tamen delectáris eſſe cum fíliis hóminum. O mentis delectátio! ô cordis jubilátio! ô amóris conſummátio!






ECce templi
Vela rúmpúntur:
Et pandúntur
Arcána cæli.
Ecce vidétur invisíbilis,
Et tángitur impalpábilis.
Ecce finíta ſub imágine
Infínitus comprehénditur:
Et qui fulget imménſo lúmine,
Umbra levi circumſcríbitur.
O Creatóris
Summa poténtia!
O Redemptóris
Summa Cleméntia!
O ſinguláris grátia!
Te ſúpplices adorámus,
In te crédimus, in te ſperámus,
O ſacra caro, víctima pínguis!
O dulce Nectar, ô care ſanguis!
O ſpes, ô ſalus, ô vita languéntûm!
O mirábile Sacraméntum!



IN tribulatiónibus, in angústiis, in necessitátibus, ad quem clamábimus? quem exorábimus? nisi te Dómine Deus noster, Pater misericordiárum & consolatiónis! Dulce solátium & refrigérium cordis nostri. Non spérabit cor nostrum nisi in Deo, quia ipse est Dóminus, protéctor noster, adjútor noster, & salus nostra, qui sperábit in eo non confundétur.

SUspirat ad te cor meum amóre tuo sáucium, ô amantíssime Jesu! Desíderat ad te ánima mea sicut cervus ad fontes aquárum, ô amantíssime Jesu. Te solum sitit, te solum laudat. Nihil optat præter te. Nihil quærit nisi te. Nihil amat sine te. Nihil optat præter te. Tu solus es ánimæ desidérium, & cordis refrigérium suavíssime Jesu, fons amóris & grátiæ! Veni Jesu dulcédo cordis nostri, mundi seréna lux, salus & vita, suavitáte nos reple amóris tui; veni Jesu, veni. Fac ut ánima nostra exúltet triúmphat in salutári tuo.





DIléćte Jeſu ! benígne Jeſu ! quam clemens ! quam bonus ! quam pius es ! quam magna multitúdo dulcédinis tuæ ! quam magna vis amóris tui ! Quæ vox, quæ potérit lingua retexére quam ſis mellífluus Jeſu dulcíſſime ! Omni dulcédine tu es ſuávior. Tu ſuavíſſimus Panis angélicus qui paſcis ánimas nećtáre cælico, illáſque refícis ætérnis gáudiis. O quam ſuávia ſunt illa gáudia quæ tu fidélibus benignè præparas dum volant celéres ad cæli gáudia ! noſtris ſupplícibus adéſto précibus Jeſu piíſſime, Jeſu ſanćtíſſime ! Absólve víncula duc nos quo téndimus : illic cum Angelis ſemper gaudébimus & cum Archángelis ſemper lætábimur, & te laudábimus per cunćta ſemper ſæcula.



